



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quænam est materia necessaria, ex qua conficitur Eucharistia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

CAPUT PRIMUM.

De Formâ & Materia Eucharistia.

Q. I. **Q**uamnam est materia necessaria, ex qua
conficitur Eucharistia?

Resp. I. Est panis triticeus, & vinum de vite.
Prob. 1. Ex perpetua Ecclesiæ traditione &
praxi. 2. Ex Conciliis præsertim Later. 4. c.
firmiter. ex Trident. sess. 13. c. 4. & can. 2.
& Florent. *Tertium est Eucharistia Sacra-*
mentum, cuius materia est panis triticeus, &
vinum de vite cui ante consecrationem aqua modi-
cissima admisceri debet. 3. Quia Christus in-
stituens Eucharistiam, non aliam materiam
adhibuit, Matthi. 26. eamque ut necessariam
præcepit, his verbis, *hoc facite, &c.* Luc. 22.
& 1. Cor. 11. Deinde panis triticeus solus est,
quid dicatur simpliciter panis; alii non vocan-
tur panes nisi cum addito, nec adhibentur, nisi
in eius defectum. Item vinum simpliciter est
vinum de vite usuale. At ex Script. & Con-
ciliis materia Eucharistia est panis & vinum
simpliciter.

Hinc 1. non potest valide consecrari panis
confectus ex oriza, avena, hordeo, milio, &c.
vel ex leguminibus, radicibus herbarum, aut
fructibus arborum: item ex tritico non puro,
sed mixto, v. g. Hordeo vel avenæ, si quan-
titas tritici non sit notabiliter maior; nam aliàs
Panis non esset simpliciter triticeus. Quare

Tom. III.

R

Missa.

Missale Rom. de defect. ait: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus; vel sit alioqui corruptus; non conficitur Sacramentum.* Secus, si farina alterius materiae sit in tam parva quantitate, ut panis moralis aestimatione censeatur adhuc triticeus. Reverentia tamen Sacramento debita exigit, ut panis sit ex puro tritico, & valde albus. Licetè verò consecrari non potest panis confectus ex grano, de quo dubitatur an sit verum triticum; nam in Sacramento, quæ non sunt de necessitate mediæ, nunquam licet adhibere materiam non certam; alioqui sine necessitate urgente exponerentur nullitati. Species autem grani, de quibus præsertim aliqui dubitant an sint triticum, sunt siligo seu secale, & spelta; nam quamvis S. Thom. senserit siliginem esse triticum, quia quandoque ex tritico in malis terris generatur; multi tamen id negant, quia quandoque etiam ex tritico nascitur avena; potestque res unius speciei propter diversas dispositiones & causas degenerare in rem alterius speciei.

Hinc 2. Non potest validè consecrari 1. Liqueor expressus ex pomis, piris, cerasis, &c. 2. Omphacium, *du Verjus*, quia necdum habet naturam vini. 3. Acetum, quia non est amplius vinum, & fit ex corruptione substantiali vini. 4. Succus intra uvas maturas adhuc contentus, aut vinum in pane vel alia simili

ma-

materia contentum; quia in tali statu non habet rationem vini usualis. 5. Vinum Aromaticis ita conditum, ut morali æstimatione speciem vini amiserit. Secus, si alteratio sit exigua, quamvis illicitè consecraretur.

E contra validè consecratur 1. Mustum, seu vinum ex uvis maturis recens expressum, cum iam habeat naturam vini, quamvis hoc sit prohibitum; quia est impurum ob admixtas fæces, ac proinde indecens. In necessitate tamen iuxta S. Thom. 3. p. q. 74. a. 5. ad 3. licitè consecratur. 2. Vinum congelatum, sed postea resolutum, modò per gelu non fuerit corruptum. Vinum autem actu congelatum, & non resolutum est materia incerta: quare si fortè in hyeme vinum in Calice congeletur debet per ignem resolvi priusquam consecratur; sed eius congelatio, quantum potest, impediri debet.

Resp. II. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut panis sit confectus ex farina triticea aquâ naturali dilutâ, & igne coctâ. Nam sic conficitur panis simpliciter dictus, & usualis, aliorumque ciborum comes, qualem Christus instituit.

Hinc non possunt validè consecrari 1. Liba, placentæ, & similia confecta ex farina triticea mixta lacte, butyro, ovis, melle, saccharo, aliisque liquoribus ab aqua naturali specie differentibus; nisi fortè liquores isti admixti aquæ naturali, essent in exigua quantitate, ita

ut aqua plurimum prædominaretur. Illicitum tamen est consecrare panem triticeum mixtum quacunque re, grano, vel liquore, etsi in parva quantitate: quia est contra usum Ecclesiæ & reverentiam Sacramenti postulantis materiam omnino puram. 2. Massa cruda, seu pasta; quia non est panis usualis, nec cibum hominum. Si autem farina sit diluta aquâ rosaceâ, dubium est, an sit valida materia, ut habet Missale Romanum.

Porro ex præcepto & usu Ecclesiæ panis consecrandus apud Latinos debet esse figurâ orbiculari & integrâ.

Not. Nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens ad conficiendam Eucharistiam, nisi in materia certa, inquit Suarez; quia huic Sacramento summa reverentia debetur; & aliunde non est necessarium necessitate mediæ in re ad salutem.

Q. 2. An panis tam azimus quam fermentatus est materia valida?

Resp. Aff. Ex Conc. Florent. in decreto unionis, ibi: Desinimus in azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Ratio est, quia uterque est panis verus & simpliciter dictus, & sic in Script. vocatur; nam uterque fit ex farina triticea, aquâ naturali
sub